

**Dissertatio academica de magia hyperboreorum veterum ... / Publico  
axamini modestè submittit ... Olavus Hamnell Helsingus.**

**Contributors**

Hamnell, Olavus.  
Uppsala universitet.

**Publication/Creation**

Upsaliae : Ex Officina Werneriana, [1709]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mgb49eum>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

61528/16 16  
Q. B. V.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

# MAGIA HYPERBOREORUM VETERUM,

QUAM

*Approbante Ampliss. Senatu Philosophico  
in Regia & illustri Academia Upsal.*

Sub PRÆSIDIO

*Viri Admod. Rev. Amplissimique  
MAG. OLAVI CELSII,*

Græc. Lit. Professoris Regii,  
& Past. in Verje meritiss.

*Publico examini modestè submitit*

S:AE R:AE M:TIS

Alumnus

OLAVUS HAMNELL

HELSINGUS

*In Audit. Gustav. Maj. die XXI. Junii, horis  
ante merid solitis, Anni MDCCIX.*

UPSALIÆ,

Ex Officina WERNERIANA.

349870

Maxime Reverendo Amplissimoq;  
DOMINO,

DN. DANIELI

DECKERSSON,

S. Theol. DOCTORI &  
PROFESSORI Celeberrimo;

Consist. Upsal. ADSESSORI,

itemque

Eccl. Danemarck. PASTORI,  
nec non District. Hagundensis  
PRÆPOSITO Gravissimo;

Ut AVUNCULO, ita PA-  
TRONO etatem deve-  
nerando.



**ΠΟΛΛΟΙ.** μὲν τῶν νεοτέρων τῶν ἐλευθερίας παιδείας ἐπιτηδευόντων ἀμφισβητήσι τινας χρὴ προσάτας ζῆτειν, οἵς τὰς συζητήσεις ἑστῶν τὰς Ἀκαδημικὰς καθιερῶσιν. Ἐμὲ δὲ οὐ Μητρόδελφε καὶ διδάσκαλε αἰδεστιμώτατε φίλοις δός ἀνάγκη περὶ τότε ἀπορεῖν, σὺ παρόντ<sup>Θ</sup>. Πρὸς τότο παρακαλεῖ με τὸ αἷμα, καὶ τὸ μέγεθ<sup>Θ</sup> τῶν ἀγαθῶν, ἃ εἶμε πάντα τὸν χρόνον φιλόγοις, ἀλλ᾽ ἔργοις ἐποίησας. Ἐπειδὲ δήματα τοσούτων εὔεργεσιῶν ἀνηλάξια πάνυ γε λείπει, γίνοιτο μόνον ὁ ἔξον πράττειν. Σὺ δὲ, οὐ σεβασμεὶ Πάτερ, μὴ Φορτικὸν γῆγε εὔμενεῖ καὶ Φαιδρῷ τῷ ὅμματι αἴφορῶν εἰς τὰ περὶ τῶν Μάγων τῶν Ὑπερβορέων ἀπ' ἀμαθῆς καλάμῳ ως τῆς παιδείας θαλύσια ἐκδιδόμενα. Οὕτω καὶ δεῖ δι' εὐχῆς ἄξω ἄνοσόν σε καὶ τὰ βέλτιστα πράττοντα βιόν μακρότατον βιῶναι. ἔργωσο.

Max. Reverendi atque Amplissimi Nominis Tui

Cultor Humillimus  
Olavus Hamnell.

Handelsmannen  
uthi Söderhamn,  
Ahreborne och Högvålachtades  
Mr. Hans Glofsson  
Krook /  
Min Högtåhrade K. Fader.

**G**råd Clio fram / som kan of fånges  
Konsten lära /  
Gråd fram och lär mig nu / hur jag af  
tackslänt sinn  
Behedra måtte dem / som altid lyckan  
min  
Befrämsat inmersert ; det är din egen åhra.  
Men ach ! si fruchtan wärdt ; min stroaga  
penna sachtar  
Sitt lopp / då Faders gunst / osparda  
godhet / flit /  
Som mig har aldrig tryft ; samt all  
Hr. Swågers nit  
Om wålfård min han hast / jag börjar här  
betragta.

Arendatoren  
wid Långwinds Bruf/  
Ahreborne och Högwälachtade/  
**Hr. Erich Berglind/**  
**Högtåhrade K. Svåger.**

Thy når med wördsamt sinn' jag hoos mig  
eftertåcker;  
Hut Faders godhet all/ jag må en sons-  
lig plicht/  
Sant Ehr wälgårning mång / Herr  
Svåger, lika wicht  
Motsättia / då lär här wist fordras andra  
Tåcker  
Ån detta silla wärk ; hvar til Joförtöswat  
Mig såledi swara kan : wi störa intet  
om  
Hins Ondas Gyxlerij / med all den  
Gasldur som  
Han fordrom i vår Nord med hissigt  
wälde öswat.

Ja

Ga! dyre sakers stånk / som här plår säl-  
lan wanka.

Jag ey frambåra kan; doch skal af mig  
försant/

Ett tackamt hierta städz Ehr gies til  
underpant!

För mycken fromhet som I welat på mig  
samka.

Si så skal mången suck / som jag förmår  
uthgiuta /

Hos Himlen altid ha den wårkan / at  
min Far

Bekommer mycket godt / för det han al-  
tid har

Mig tedit; samt Swåger får må alstidns  
fågnad niuta.

Lef dervör bågge twå / hel wål i åhren  
många /

Med hälsa god af Gud begåfwad' uthi  
frid /

Tilthes sist Himlen täck Ehr i sin bos-  
ning wid /

Bekröna med nytt lif / som räcker tider långa!

Högtåhrade käre Faders/  
Högtåhrade käre Swågers/

Lydigste Son  
Tienststyldigste Tienare

Ol. Hamnell.




DEO DUCE!

# Caput Primum

De

*Artis Magicæ Fatis.*

§. I.



Arts magica, quae in maxima apud priscos fuit dignatione, plures artes & scientias apprimè decoras complexa, in unam se redegitte creditur; ita possessis hominum sensibus multiplici vinculo, in tantum fastigium adolevit, ut in oriente ipsis etiam regibus imperaret, quippe inter prima docebatur, nec ullus apud Persas regnare poterat, nisi Magiam calleret, auctore Cicerone. <sup>a)</sup> Poëtarum quorundam scripta merâ magiâ

A constare

<sup>a)</sup> de divinat. lib. II.

constare certum est ; & ausim dicere totam penè Homeri Odysseam : Siquidem Protei transfigurationes , & Sirenum cantus , & Circes pocula , & inferorum evocationes , plurimaque alia non nisi magico intellectu convelantur . Enimvero artem hanc longe lataque dispersam , loca , quocunq; commeaverat , implevisse ; & apud Chaldaeos , Assyrios , Æthiopes , Arabes & Indos cultam fuisse , compertum est . Ex Perside in Graeciam illatam esse , memoriae prodiderunt Graeci à quodam Ostane , qui Xerxem regem Periarum bella Graeciae inferentem comitatus , eam Graecorum populis tradidit , sapientiae famam semper magnopere affectantibus . Unde adparet , quanta antiquitus claritas gloriaque ex hac scientia emicuerit . ad hanc descendam Pythagoras , Empedocles , Democritus , Plato , lumina doctrinarum , navigaverunt peregrinationibus suscep- tis , hanc reversi praedicaverunt , hanc in arcans habuerunt . Quin inter autores constat , orbem terrarum Magiam peragrasse , Oceanum quoque transgressam , in Britanniam usque pro- vectam

vectam esse; Gallias quoque posse disse,  
a Druidis, qui Gallorum Magi fuerunt,  
illustratam.

§. II. In Perside vero imprimis hanc  
artem effloruisse, & a Persis Magiam  
dictam esse, ex scriptis Herodoti, Stra-  
bonis, Plinii, Suidae aliorumque satis  
patescit. Ejus auctorem fuisse Zoroa-  
strem, iidem indicant auctores. Plu-  
res autem hoc nomine usi cum fuerint:  
Scrupulus heic incidit; quisnam ille  
Zoroaster Magices inventor? de hoc  
diversae & prorsus incertae virorum  
doctorum sunt sententiae: Cum alii  
Chamum Noachi filium eum faciant,  
quidam Chami filium Mezraimum; Ja-  
petum nonnulli, nonnulli Chus, alii  
Assur, quidam Nimrodum. Nec de-  
sunt qui regem Bactrianorum circa  
natale tempus Abrahami clarum, bel-  
laque adversus Ninum Assyriorum re-  
gem gerentem, hunc fuisse autument.  
Verum cum adeo discrepantes de Zo-  
roastris aetate ab auctoribus traditae  
sint opiniones, ut haec varietas falsa-  
omnia quae de ejus aetate scripta sunt,  
ac fugo circumlitam esse veritatem,  
probet; Illorum sententia nobis levi-

bus conjecturis nixa haud videtur, qui dicunt Zoroastrem alium vix fuisse quam ipsum Mosen ; inter quos est Huetius *b)* qui innumeris testimoniis evincere posse sibi pollicetur fictam esse Zoroastris personam, cui vera Mosis facies subsit. Et fateor id à vero minus absimile videri ; quippe *eruditus erat Moses omni sapientia Ægyptiorum*, & *erat potens in verbis & operibus. c)* & totam prodigiis suis ac mirifica vi confundavit Ægyptum, & Jannis & Jambris incantameuta retudit. *d)* Quamobrem non mirum si quando fama talium facinorum percrebuit , Magices auctorem tam Persae , quos multa ex Mosis doctrina hausisse , inferius dicitur, quam aliae gentes, eum habuerint.

§. III. Vocabuli originem quod attinet , eam paucis tetigisse sufficiat. Nonnullis placet Magiam ab Hebraeo verbo מְגַדֵּל meditatus est dictam esse , cum in sacris literis *Haga* in participio Hiphil usurpatum reddatur per *Magos*, *Hariolos*, *Mussitantes e).* Alii à μέγας,

quod

*b) in demonst. Evang. Propos. IV. cap. V.*

*Part. 2. c) Act. VII. 22. d) Exod. c. VII.*

*e) vid. Esaj. cap. VIII. v. 19.*

quod *magnus* & *potens* intellectu magus sit, derivant. à quibus non multum abeunt illi qui Magos quasi *Magnagos* dici asserunt, à magnis videlicet rebus, quas se perficere posse gloriantur. Sed de nominis *Magi* origine vix operaे pretium est plures doctorum sententias referre; cum certum sit, illam à Persica lingua manare, & quod Lexica tam Graeca quam Latina manifestè produnt, idem significare suo idiomate, quod apud Graecos ΦιλόσοΦοι, apud Gallos *Druide*, & apud Latinos *Sapientes*. Nobis igitur haud incommode inter primitiva vocabulum *Magus* referri posse videtur; cum inde alia formentur, utpote *Magia*, *Magicus* &c. Graeci μάγεια, μάγιος, μάγευω; quin etiam μάγος τον venenum hinc derivari nonnullis videtur; siquidem venefici qui hinc nomen sortiti, eo inter sua utantur deliramenta.

§. IV. Sicut autem apud Persas suam praecipue sedem *Magia*, ut supra dictum est, habuit; ita ab illis tanti quoque fuit aestimata, ut ipsa eorum Theologia hoc nomine fuerit nuncupata. Illi enim eos, qui circa sacra & divina occupati

occupati fuere, Magos dixerunt. quamobrem etiam Plato eam Deorum cultum appellare non dubitavit: f) *Μαγεῖαι ἐστι τῶν Θεῶν θεραπεία.* Itemque Strabo g) dicit, Magos fuisse apud Persas, quos apud Indos Gymnosophistae, apud Babylonios Chaldaeи, apud Hebraeos Moses, qui divinae praecepta & documenta suis tradiderunt. Et Apulejus h) *Persæ,* inquit, *Magum vocant Theologum & Sacerdotem.* Neque tantum circa Dei cultum occupatos fuisse, sed rerum quoque scrutatores naturam, quam fibi quidem praecipue inquirendam putabant, indicat Porphyrius, qui etsi dicat eos tractavisse τὸ θεῖον, nihil tamen obstat, quo minus per illud eo loco intelligatur τὸ Φυσικὸν, cum divina interdum etiam τὰ Φυσικὰ significant. i) Itaque; hoc sensu Magiam describit etiam Philo k), περὶ πλικῆν ἐπιεικῆμην ἡ τὰ Φύσεως ἔργα τραχοτέραις φαντασίαις αὐγάζεται. i. e. perfectivam scientiam, per quam naturæ opera clarius cernuntur. Hisce aliisque

hujus

f) in Alcib. maj. pag. 441. g) lib. VI. h) *Apolo-*  
*gog. p. m. 290.* i) vid. Basil. Fabr. ad  
*dist. divinus.* k) de Spec. leg. pag. 192.

hujus generis testimoniis evinci posse existimamus, Magos antiquitus non solum scientiarum Philosophicarum doctores, verum & sacrorum cultores fuisse atque Theologos, qui religionis curam gesserint, eamq; hominibus commendarint; nam sicut Magia hæc circa naturae indagationem versata fuit; ita ob oculos suis cultoribus præcipue posuit ineffabilem creatoris omnipotentiam sapientiamque. ideoque iuxta notionem, quam de Deo habuerunt, cultumque ei exhibendum, ab illis fuit usitata: Persas etenim Deum maximum totius hujus universi statorem quodammodo coluisse, vel ideo sustinemus affirmare, quia statuas idolorum rejecerint, idq; ex disciplina Magorum, quos τὰ δγάλματα εἰκότως καταιρεῖν, simulacra jure aboleri censuisse, memorat Laertius <sup>1)</sup>). Nec frustraneam esse traditionem de Daniele Propheta putamus, qui Susis in confinio Babyloniae & Persidis scholam instituisse, & multos ad agnitionem veritatis perduxisse, creditur. m)

§. V.

<sup>1)</sup> proæm. p. 7. m) vid. Reverendiss. b. m.  
Benzelii Hist. Eccl. pag. 85.

§. V. Ex iis quae hactenus prolatas sunt, occasio nobis praebetur non nihil etiam de saniori gentilium quorundam Theologia differendi. Non enim putandum est omnes gentiles ita desipuisse, ut nihil sani in divinis rebus aut senserint, aut admiserint; gravissimis licet tenebris oppressi, lumen tamen veratis etiam ipsi, quamvis aegris plerumque oculis & tanti fulgoris impatientibus adspexere. Etenim cum duplex ad acquirendam harum rerum cognitionem pateat via; *Naturæ* una & *Rationis*, per quam etiam post vitium istud à primis parentibus contractum, adhuc superstitem manere aliquam mentis humanae vim, quae Deitatem inquireret, agnosceret, coleret; adeo verum est, imo & notum, ut nostra heic non egeat probatione, cum neque instituti ratio id ipsum permittat. Altera *Revelationis* & quae inde ad posteros manat *Traditionis* est. Neutram ethnicos omnino latuisse certum est; hanc enim quod attinet: gentiles etiam plurima ex ipsis sacris literis delibasse, testimoniis haut spernendis apparet; sive ex ipsa illarum lectione, quod quid

quidem rarius; sive qualicunque consuetudine cum Hebraeis, penes quos tanti thesauri custodia erat. Nam rerum non tantum praeteritarum, videlicet creationis, lapsus protoplastorum, diluvii &c. notitiam hauserunt; verum etiam futurarum; quam unde quaesonisi è Scriptura sacra accipere potuerunt? e. g. mortuorum resurrectionis; nam eam quoque gentiles crediderunt, & quidem inter eos antiquissimi Persarum Magi, quemadmodum ad auctoritatem Theopompi provocat Diogenes Laertius <sup>n)</sup> his verbis: ὁς καὶ ἀνθρώπεσθαι κατὰ τὸ Μάγος Φησὶ τὸν ἀνθρώπων, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτων. qui & revicturos homines secundum magorum sententiam dicit, & futuros immortales. plura in hanc rem vide apud Pfannerum de Theologia gentilium.

§. VI. Causam nobis jam investigaturis, cur videlicet sanior haec ethnicorum Magia postmodum depravata, & in insanam, & huic prorsus contraria perversa sit: ipsa hac humani generis praesenti sorte considerata, non tam procul quaerendam putamus. Novimus

<sup>n)</sup> Proœm. pag. 6.

vimus quām variae fortunae vices rebus  
humanis dominantur ; ita quidem ut  
optandum sit in meliorem statum sae-  
pius commutari. Sed cum natura  
communis, ad id quod deterius est, ma-  
gis sit proclivis : sic nunquam non gna-  
viter agit Diabolus , ut id etjam p̄rae-  
bono eligatur. Quin etiam experi-  
mur, omnes bonas artes & p̄aecipue  
liberales ibi foveri atque florere, ubi-  
cunque doctrina Evangelii verum su-  
um expandat lumen. Contra autem ,  
quando salutiferi ejus radii, aut haere-  
ticorum tenebris , aut proprio homi-  
num veterno inter ipsos obscurantur :  
ipse quoque literarum amor ac studium  
honestarum artium obtorpescit. Hinc  
factum putamus , ut statim post diluvi-  
um, cum maxima pars posteritatis No-  
achideae à vera de promisso semine  
doctrinâ , inde testabilem idololatriam  
prolaberetur: magia illa rerum divina-  
rum ac naturalium magistra in nefan-  
dam artem p̄aestigiaticem ac super-  
stitionem , à quibusdam sit commutata.

Hujus cultores aut ex *malitia*, priscae  
ecclesiae doctrinam , itemque rerum  
gestarum historiam,in fabulas caligino-  
fas &

sas & aenigmata perverterunt; eadem viâ postmodum incedentes Poetae, quibus cum pictoribus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, ea quae antiquus contigere, sub carminum quodam involucro decantaverunt, quae vero fabularū additamentis corruperunt. Gentes enim licet famam miraculorum Dei (sicut supra adstruximus) audierant, tanta tamen ipsarum fuit incuria & ἀπροσεξία, ut illa contemnerent, nec eo, quo debebant, loco haberent. Cujusmodi exemplum quoque occurrat in historiis Justini & Taciti, qui de Mose & exitu Israëlitarum ex Ægypto, nonnihil prorsus ridiculi scripserunt.

Aut ex *arrogantia*, sive altioris sapientiae affectatione, semet ipsi informandos τῷ μυριόλεχυτῇ tradiderunt, ejusq; discipuli facti sunt, quò populo suis fascinationibus decepto, praे aliis verae ac naturalis magiae peritis mirabiles apparerent. Unde Magi pro praestigatoribus ac beneficis deinceps vulgo sunt habiti, eorumque doctrina praestigarum nomine semper fuit suspecta. quamobrem etiam Persae, suos doctos non amplius Magos sed Sophos ob sapientias

sapientiae integritatem appellarunt.

§. VII. Duplicem igitur esse Magiam, haud inepte autumant eruditii: Altera probata & Philosophica, quae nihil aliud est quam naturalis Philosophiae apex & consummatio; cuius cultor religioso sanctoque nomine Magus appellatur. Hujus generis erant Magi, qui Salvatori infanti munera obtulerant, eumq; adoraverant; quos quum ab oriente dicantur accessisse: o) è Perfidie fuisse, confidenter ausim adfirmare.

Altera improbata, quae daemonum potentia constat, res profectò execranda, detestabilis, portentosa; quam Graeci γονιστας, θαυματιας &c. Latini *præstigias, fascinum, incantationes* &c. Germani *Zauberch*, *Schwarze Kunst*. Sveci *Trollkonst* vocant. Ejus Magiae cultores sunt, qui communione quadam cum diis immortalibus, ad omnia quae velint, incredibilia, quadam vi cantaminum peragenda, se pollere ostentant, cum tamen ipsius diaboli arte & opera circa suas machinationes utantur; hinc vulgo Magi malefici & benefici, ob facinorum magnitudinem nuncupantur.

De

o) Matth. II. v. 1.

De Magia hoc sensu cōsiderata, & quo-  
modo illa olim in ultimo nostro Se-  
ptentrione viguerit, perque totum fe-  
rē orbem hyperboreum suum sparse-  
rit venenum, quum nonnullis agere  
in animum indixerim, non quidem ob  
argumenti dignitatem, quae nulla pror-  
fus censetur; sed ut pateat, quam spissac  
olim tenebrae huic orbis parti incubu-  
erint, & quantas Deo immortali ob  
profligatas Satanae illusiones, & tan-  
dem Evangelii lumen avorum nostro-  
rum tempore in carissima patria accen-  
sum, debeamus gratias. Igitur de tuo  
candore Lector humanissime, quo, ea  
quae rudi penicillo descripsero, amice  
amplexeris, fidem mihi faciens indu-  
biam, rogo ut in tristem scenam me-  
cum paulisper descendere non grave-  
ris.

# Caput Secundum

De  
*Origine & incrementis Magiae  
 in Septentrione.*

§. I.

**P**Elago huic hyperboreo, magico aestu ferventi, rateni cum committimus, scylla non una duntaxat nobis obvia est, verum innumeri scopuli ac syrtes obstacula minantur ; quae, si feliciter progredi volumus, prius utcunque removenda sunt. Inter haec autem instituti ratio monere videtur, ut solitudinem tantillam impendamus temporis inquirendo, quo videlicet magia haec terras nostras primum obsederit ; quod quidem digito demonstraturos nos minime promittimus, cum ejus rei exacta ratio vix haberi queat.

Nonnulli quidem quia statim à diluvio, coloniis Noachidarum hunc arcticum orbem infessum existimant ; ita veri etiam numinis cultum, secum primos huc intulisse habitatores sibi persuadent, qui vero temporum lapsu sensim corruptus, & in horrendam idolatriam ab Odino fuerit perversus, qui non

non longè ante natum mundi Salvatorem, ex Asia in Septentrionem nostrum immigraverit; adeoque ab eo Magiam introductam arbitrantur. Odimum namque, quia in artibus magicis versatissimus erat, multumque sapientiâ apud singulos valere videbatur, populus pro numine venerari, ejusque doctrinae nempe jam ab Asianis huc deportatae, mentes ac aures attentas præbere cœpit.

Verum num hisce quicquam tribendum sit; tanto magis dubitamus, quanto certius constet, veri Dei cognitionem & cultum, Noacho adhuc vivente, corrumpi ac depravari cœpisse. quis igitur crederet eos, qui longo forsan post tempore in has oras pervenerunt, abstrusissima divinitatis mysteria cognovisse, & cultum Dei sincerum posteris suis tradidisse? Verisimilius videtur, plerasque gentes post lingvarum dispersionem, corruptam Dei venerationem, & à posteris magis corrumpendam in suas quamque detulisse terras. Quamobrem vereor, ne statim quoque ars magica hanc idololatriam in nostras usque regiones comitata, radices

dices longe ante Odinum egerit. Interim certum videtur, Odinum nefandam hanc artem ad id fastigii perduxisse, ut religionis, instar & sacri cultus fuerit habita.

§. II. Verum ut ut est, hoc an illo tempore in his terris magia exerceri cœperit, neque omnino è re esse videtur, ut exactè sciamus; Sufficit novisse plurima proh dolor! per secula daemonem suam superstitionem hic habuisse scholam, & praecipue quidem in locis maxime dissitis doctrinae suae semina sparsisse, ut miseros homines, quippe à prudentioribus ac saniori Dei cultu remotissimos, eò facilius deciperet, suaque fraude illaquearet. Loquor in Septentrione nostro, sub ipso axe degentes, quos Olaus Magnus describit p) his verbis: *Inter Bothnicos homines Septentrionis, passim inveniebantur malefici & Magi, tanquam in proprio loco, qui per summam ludificandorum ocularum peritiam, suos alienosque vultus, variis rerum imaginibus adumbrare noverant, fallacibusque formis veros obscurare conspectus.* Neque in arctoa hac plaga certis

certis quasi limitibus, spiritum hujusmodi immundorum commercia fuere circumscripta ; sed passim in toto orbe hyperboreo dispersa fuisse , scriptorum antiquorum monumenta co[n]strant. Historias enim rerum Sveo-Gothicarum antiquas relegentes, singulas experimur repletas esse variis artium magicarum, apud superstitiones homines usitatarū, relationibus. Imo ipsam quoque gentem giganteam hac arte fuisse imbutam , probabile est ; quæ quamvis per totum Septentrionem in montibus ac sylvis habitaverit : domicilia tamen praecipua juxta album mare , quod etiam Cronium dicitur , olim Gandvif-en/ gigantes habuisse, testatur Historia Hervorae : q) Jotunheimar vorukallader nordan um Gandvik, en ymis land fyrir sunnan. h. e. Gigantum terra appellabatur olim , quod mare album ad septentrionem adspexit. Ulmeslandia ab austro clausit . Hoc autem mare sine dubio nomen sortitum est ab accolis magicis artibus maxime deditis ; Gan enim magiae & superstitutionis exercitium denotat, docente Ampl. Rudbeckio. r)

B

Gigan-

q) Hist. Herv. cap. 1. ex vet. MSS. r) Atl.  
Tom. III. p. 211.

Gigantes autem roboris sui fiduciâ plenissimos ad magicas se demisisse artes, turpe & infame videri posset; sed dedecori ea praetexitur excusatio, dicit Cl. Verelius s) quod adversus Dvergos sive Pygmaeos (quos Ampl. Rudb. nostros Lappones facit) se tueri nequinent, qui corporis viribus longè inferiores, malitiâ tamen & stratagematibus magicis ipsos saepe evertebant. quamobrem nec magis dispare inter se existimat Cl. Verelius, quam ut in unam cohortem redigi possint: Dusfar, Dussabblingar, Jotnar, Risar, Bergrisar, Halfrisar, Bergbuar, Troll, Halftroll &c. t)

§. III. Hujus artis cognitionem, ob caussam modo allatam, ne videlicet damnum & exitium ab aliis ipsis afferretur, sibi maximè necessariam veteres existimarunt; quamobrem suos magistros & praceptores Lappones habuisse, narrat Schefferus: tt) à quibus in hac arte erudirentur, usuque docti fierent. Alioquin, si parentes eam calllerent, ipsi infantes instituebant. Et

quod

s) in notis ad Herv. p. 24. t) ad Her. pag. 25.

tt) descript. Lapp. pag. 120.

quod horrendum est, ad illos jure qua-  
si haereditario spiritus malignos suis  
obnoxios ministeriis, daemonasque  
transmittebant.

Crediderunt enim homines miselli,  
se certos suosque habere genios & dae-  
mones ab aliorum geniis prorsus distin-  
ctos, eisque adversos saepe & contra-  
rios, modo unum, modo plures, alias,  
à quibus defenderentur, alias quibus  
aliis nocerent. quod etjam Peucerus  
indicit, u) dum ait: *Magorum aliqui  
familiares spiritus secum circumferunt, a-  
lias aliis ergastulis vinctos & conclusos, ut  
ipsi jactitant; aliqui cum opus est accer-  
sunt & alliciunt.* Detestandam igitur  
hanc exercentes artem, geniis hujus-  
modi muniti, credunt se ab aliorum  
veneficiis ac incantamentis minus ad-  
peti vel laedi posse; contra autem hu-  
jus artis rudes ac ignaros, aliorum inju-  
riâ facillimè everti. ideoq; omni studio  
omniq; nisu in id incubuerunt, ut magi-  
ca vi alii präe aliis tamquam aemulantes  
pollerent. Hujus rei memorabile ex-  
emplum adfert ex Zieglero Cl. Schef-  
ferus v) de Finnone quodam Asbiern

Gankong , ita propter artis magicae peritiam singularem vocato ; cui cum alius afferre vellet exitium ob contentionem aliquam, nec efficere id posset, praevalente nimirum illo Asbiœrn ; tandem accidit : ut, cum sub rupe quadam Asbiœrn somnum caperet, alter suum emitteret *Gan h. e.* praestigias magicas perageret , qui ruptam rupem, injecit dormienti, eumque ita necavit. Unde adparet : Spiritus immundos interdum ea facere, quae speciem praebant cujusdam inter illos hostilitatis ; in finem quidem nullum alium, quam ut hominibus persuadeant à quovis posse infestari, nisi auxilium daemonis implorent ; vult enim antiquus ille veterator instar numinis à suis clientibus coli.

§. IV. Tali igitur daemonum potentia instructi, non modò à quovis infortunio liberos fore ; verum quicquid volupe esset aut cognoscere aut perficere se posse fuerūt opinati : arcana perquirendo, futura praedicendo, gratiam hominum sibi conciliando, aëra pervolando, maria transeundo, ventos & pluvias inopinatò excitando, corporis

ris robur assumendo, homines in bruta & alias formas convertendo, serpentes feritate virulentiaque exuendo, bestias indomitas coērcendo, aut horum contrarium, vel etjam simile aliquod peragendo. Et quis singulas hujusmodi meras diaboli praestigias enumerare queat? meritò Virgilii de Alecto utar verbis : *Tibi nomina mille, mille nocendi artes.* quibus egregie pingit diabolum, qui infinita molitur in contumeliam Dei , perniciemque generis humani.

Pro hac autem illusionum Diabolicalium varietate, varias antiqui consti- tuerunt Magiae species ; quarum una, alia etiam crebrior hoc vel illo tem- pore fuit, atque hisce vel aliis locis celebrior. Huc refer universum illud praestigiarum genus & illusiones, qui- bus malefici phantasmata phasmataque edunt ; multa miracula fraudulenter o- stentantes ; plerumque incantamentis, adjurationibus nefariis, illicitis sacrificiis, imprecationibus , mentione divi- norum nominum, recitatione verbo- rum sacrorum aut barbarorum, sive ad- hibito quocunque murmure : nonun-

quam etjam plantis, imagunculis, annulis, sigillis, aliisque rebus hoc vel illo modo adhibitis; itemque speculis, & similibus hujus artis instrumentis organisque superstitione admotis, effectus admirandos se efficere simulant.

Instrumentorum vero talium non nullis, licet interdum aliquid virtutis naturalis inesse possit. e. g. in herbis & plantis; quae quomodo artibus magicis inserviant, indicant Apulejus & alii. Hae tamen aliquando, ob nullam aliam caussam, ab incantatoribus adhibentur, nisi ut fascinationes suas obvelent, superstitionisque suspicionem apud vulgus avertant; quod monstrat Ampl. Rudbeckius. w)

§. V. Horrendum hujus Magiae exercitium, jam adhuc inter Lappones nostros Hyperboreos regnare, omnibus, quibus nomen eorum innotuit, persuasum est; attamen edictis regum pientissimorum, longè ante haec tempora effectum esse scimus, ut maximè per divinam gratiam diminitum sit. Quod Peucerus suo iam tempore obtinuisse, indicat his verbis: x) *Hoc tempo-*

*re mi-*

w) *Atl. Tom. III. p. 43.* x) *de Theomant.*  
pag. m. 133.

re minus est ibi incantationum, quod Sveciæ Rex ne iis amplius utantur, severissimè prohibuit.

Nihilominus tamen experientiâ constat, inveniri hactenus sylvicolas ferè & à cultiorum consortio remotissimos; quales sunt Wise/ Wissfolk/ Wissfinnar/ quemadmodum vulgus eos appellare consuevit. Hi, res furto ablatas demonstrare, fures, aliorumque scelerum auctores indicare, morbosque varios, haut irrito nonnunquam eventu, sanare possunt. Superstitiones enim hujusmodi non satis perspicuae & ambagibus involutae, instar divini quiddam habere, & vulgi captum superare creduntur; ea verò quae omnibus exposita sunt, negligentia & fastidio saepe obsepi solent. Quapropter etjam pestilentissimam hanc superstitionis auram ab ipso infernali Cerbero orbi adflatam, multos ut ut ad pulvinar verae Ecclesiae constitutos, haurire posse, frustra renitentibus, obicemque ponentibus doctoribus & verbi divini ministris, nulli dubitamus. Interim verò, nonnunquam etjam ex miro providentiae divinae ordine fieri sciens

dum est : ut quorundam consortium, daemon ipse refugiat, quales nempe sibi minus conducibiles esse noverit ; quippe quorū cāutiora sunt ingenia, & *queis meliore luto fixit præcordia Titan,* apud eos quoque suas praestigias minus commodè occultari posse existimat. In primis igitur hanc perversitatem vige-re apud illos experimur , penes quos tenuis est, & valdè diluta veri Numinis cognitio, quemadmodum olim in extrema hac Septentrionis plaga, fuisse constat. Etenim , ut egregiè docet Vossius : *y) quanto major est Dei ignorantia , tanto frequentior se ficit Diabolus.*

§. VI. Fama ex hac Magia genti nostrae hyperboreae, tanta antiquitus facta est ; ut nulla alia gens huic, in isto exercitio , par unquam fuerit credita neq; ab ipsis exteris ; Cujus rei testis est Lucianus, *z) ubi Magum Ægyptiacum cum septentrionali sic comparat, ut priores partes huic tribuat, Cleodemī nomine sic verba faciens :* Ἐγώ δὲ καὶ αὐτὸς ἀπιστερός ὡν σὺ πάλαι τὰ τοιαῦτα ὥμην γὰρ θεον λόγω δυνατὸν γίνεσθαι

*y) de orig. Idol. lib. I. cap. 6. z) in Philo-pseud. pag. m. 335.*

σθαι ἐν αὐτὰ πισεῦσαι, ὅμως ὅτε τὸ πρῶτον εἶδον πετόμενον τὸν ξένον τὸν βάρβαρον, ἐξ Υπερβορέων δὲ ἦν ὡς ἔφασκεν, ἐπίσευσα, καὶ ἐνικήθην, ἐπὶ πολὺ ἀνίσχων. τι γὰρ ἔδει ποιεῖν αὐτὸν ὁρῶντα διὰ τῆς ἀέρος φερόμενον ἡμέρας χρόνος. καὶ ἐφ' ὕδατος βαδίζοντα, καὶ διὰ πυρὸς διεξιντα, καὶ χολῆς καὶ βάδην.  
 h. e. At ego qui et ipse quoque olim minus talia credebam, quam nunc tu: putabam enim nulla ratione fieri posse, ut ea crederem: tamen cum volantem primum conspicerem peregrinum illum barbarum, (erat autem ex Hyperboreis, ut ajebat) credidi, et vixi sum, postquam diu repugnasse, quid enim fecisset, cum eum cernerem in aere volantem, idque interdiu, ac super aquam ingredientem, perque medium ignem incedentem, idque lentem et sensim. Præterea historiæ patriæ demonstrant, tantam vim carminibus hujus populi olim fuisse, ut quicquid voluerit monstrosi perficere, potuerit. Quam ob caussam Olaus Magnus eos hoc modo describit: a) Hæc extrema aquilonis regio, sic erat docta maleficis olim in paganis mos,

*ganismo, ac si Zoroastren Persam; in hac  
damnata disciplina praeceptorem habuissent.*  
Et Petrus Cladii, a Scheffero citatus  
b) de Lapponibus Norvegiae: *De ære  
alle samien grumme trollfolk / hwis lige  
jeg icke troor at hafwa någonstedz werit i  
werlden/ eller andnu findes.* Ceterum ut  
ad ipsas artes inspiciendas pedem mo-  
veamus, institutum jam videtur exige-  
re. Ne autem propositae brevitatis ter-  
minos excedamus, praecipuas saltem  
Diaboli præstigias, inter Hyperboreos  
nostros maximè usitatas sequentibus  
commemorabo.

b) in *Descript. Lappon.* pag. 119.

## Caput Tertium

De

*Variis Magorum factionibus, sive  
meritis Diaboli præstigiis.*

§. I.

**Q**uam graviter fraudulentus ille spi-  
ritus homines nonnunquam deci-  
piat, ex parte hinc constare potest,  
quod mentes hominum ita interdum  
afficiat, ut ipsi saepe nesciant, se hoc  
vel

vel aliud ope aliena perficere , adeo-  
que nihil cum Diabolo consortii habe-  
re ; sed sua virtute rem expeditam cre-  
dant . Sicuti exemplum in promptu est  
de illis , qui se fatentur loca quam lon-  
gissimè dissita exiguo temporis spatio  
adire ; quando nimirum opus est , ut  
rerum peregrinarum rationem , statum  
amicorum vel inimicorum , aut quic-  
quid necessarium est , explorent . Hoc  
negotium multis modis peractum tra-  
ditur : Odinus insignis architectus o-  
mnium praestigiariū existens , qui nunc  
ut accipiter , nunc aquila , nunc serpens  
apparuit , c ) aut ipse in loca abscessisse  
remotissima , aut per duos corvos hu-  
meris suis insidere solitos , negotium ex-  
pedivisse perhibetur ; ita ut hi omnia ,  
quaecunque mundum pervolantes vi-  
derant & audiverant , reversi in aures  
ejus insusurrarent . Sicuti testatur Snor-  
ro Sturlaesonius in Edda . d ) Lappones ,  
quibus frequens est ista divinandi ars ,  
dicuntur , aut pulsato tympano suo ma-  
gico , aut alioquin adhibito carmine ,  
vel vociferatione exultationeq; prae-

missa ,

c ) teste Edda Mythol. 51. & alibi . d ) My-  
thol. 34.

missa, in terram se prosternere, spiritum (ut quidam falsò credunt) amittere, vel saltem mortuis similes jaceret; cum verò horam unam vel alteram, (Peucerus non satis verè ait viginti quatuor horas desiderari,) prout longius propiusque abest locus, in quo explorandum quidpiam est, jacuerint, jamque à stupido sopore evigilaverint: memorare posse omnia quae in illo loco gerantur, quidve hic aut ille faciat, de quo quis novisse cupiebat; inque testimonium expeditae legationis signum aliquod, ut annulum aut cultellum, aliamve reculam secum reportare. Interim corpora horum quasi ex anima, ab aliis suas cantiones, donec negotium peractum fuerit, minimè intermittentibus, custodiri debere, ne ali quod vivens, ut culex, aut musca, vel aliud animal (quemadmodum scribit Olaus Magnus) ea attingant, ut expergefacta, aut prorsus extingvantur, aut in irritum cassumque omnino cadat negotium. e) Quidam rursus tanta hujus artis perfectione scientiaque pollere dicuntur, ut

saepe

e) vide *Diss. de Tympanis magicis, Aboë habita m. Anno 1680.*

saepe res, quae in peregrinis locis contingunt, statim ut gestae sunt, enuncient. Sic Johannes Tornaeus apud Schefferum f) memorat Lapponem, quendam omnia, quae sub itinere in Lapponiam ipsi (Tornaeo) accidissent, novisse, advenientique narravisse. Hinc constat, Diabolum posse plurima, interdum sine ullis instrumentis ac machinationibus per illos quos sibi magis devictos, novit perficere; Ludificationibus verò utitur, quando plures alliceret, sibique familiares reddere conatur. Sic solere eum hominum sensibus suos injicere frenos, eosque ita disponere, ut varias rerum imagines in extasianquami raptis, imprimere queat; animas verò è corpore semel egressas, nullis artibus homini reddere, atque in corpus inducere valet Diabolus.

§. II. Huc referri posse existimamus & illud praestigiarum genus, quo possunt malefici ac Magi reverâ per aërem volare, inque loca remotiora sese brevi temporis momêto transferre, quemadmodum indigitat Cl. Resenius in notis ad Voluspa ff) vocabulo **Gandalfur**,  
quod

f) pag. 135. ff) Stroph. 12.

quod nomen Pygmaeorum nostrorum esse docet, indeque sic dictos, quod baculo inter crura posito, addito etiam carmine magico, in aërem elevati, terram & maris altum transire, exiguoque temporis spatio, quae in regionibus dissitis contigerint, narrare potuerint. Plures alios inter Hyperboreos hanc volandi artem calluisse, memorat Ampl. Rudbeckius *g)* & eam Disae, tanquam primae inventrici tribuit, quippe quae secundum opinionem majorum nostrorum, in magica arte versatissima, interdum per aëra volatu deferri, & res futuras experiri consvererit. Quod ipsum in historiis legitnr de famulo illustr. Domini Kanuti Posse, qui temporibus Caroli Kanuti Regis Svecorum, Viburgo Holmiam uno die perrexerit.

Ad Graecorum populos non solum famam hujus artis pervenisse, constat ex testimonio Luciani supra a nobis allegato, verum etiam eorum nonnullos ipsam ab Hyperbreis didicisse, testatur Jamblichus, *b)* ubi tradit Abarim quendam ex Hyperboreis nostris, baculo

*g) Atl. Tom. II. passim. b) vit. Pythag. c. 19.*

culo, per aëra devectum in hæc vel illa loca fuisse, quem baculum Pythagoras deinceps munificentia Abaris natus; ipse quoque ab uno loco in alium celerrimo volatu transivisse putatur, ita ut uno eodemque die & Metaponti in Italia, & Tauromaenii in Sicilia fuerit conspectus. Verba Jamblichi Latine exposita haec sunt: *Etenim Abaris Schyta ex Hyperboreis, & regione quæ ultra boream est, Græcanicæ institutionis imperitus, Pythagoræ sagittam dedit, quam habebat cum templo excessit, ratus eam ipsi usui futuram ad ea, quæ fortè inciderent, in tanta anxietate, permolesta & gravia.* Nam in illa quasi inequitans, loca quasi inaccessa, quibusque ambulari nequibat, transire poterat: ut fluvios, stagna, salebrosa & palustria loca, montes & id genus alia: Idem inferius: i) Abaris Æthrobates adpellabatur, quod per aethera graderetur. Nam istius Apollinis, qui in Hyperboreis divino cultu & honore affiebatur, jaculo, quod dono habebat, quasi inequitans, & fluvios & maria, locag<sub>z</sub> inaccessa, modo quopiam per aërem gradiens. Per jaculum istud intelligit Ampl.

i) Cap. 28.

Ampl. Rudbeckius Scipionem aliquem  
Runis ac literis magicis inscriptum,  
quem diversorum florum certo anni  
tempore collectorum oleo inunctum,  
more equitis conscenderit, certo quo-  
que carmine ore prolato, quocunque  
vellet per aethera fuerit delatus.

§. III. Literarum magicarum siqui-  
dem injecta est mentio; sciendum est,  
Runicarum literarum duo ab antiquis  
constitui genera; unum earum, quibus  
ad animi sensa exprimenda, res gestas  
consignandas, heroum fortia facta a-  
liaque necessaria praedicanda, usi sunt.  
Alterum genus, magicis incantationi-  
bus cum primis deditis, familiare extitit.  
Hosce characteres Rām-Rūnor (Runas  
amaras & acerbas) vocarunt, eò quod  
molestias, dolores, morbos aliaque per-  
niciose, hisce inimicis infligere soliti  
sint Magi. Neque enim vocabulum  
illud Rūnor semper literas, sed non-  
nunquam sermones & collocutiones  
quoque significat; quo sensu hanc par-  
ticulam in Havamal: *k) Godan mann-  
thieg thu thier gaman Runam,* ita reddit  
*Thomas Bartholinus l) bonum virum-*

*tibi*

*k) Stroph. 108. l) Antiq. Dan. lib. III. c. 2.*

tibi amicum fac sermone faceto. Odinus ipse sicut Runicarum literarum inventor creditus est; ita hujusmodi carminibus & sermonibus magicis, nefandas artes exercuisse dicitur, quibus quantum valuerit, gloriabundus ipse enumerat hisce verbis: m)

*Carmina novi*

Quæ regis uxor non novit,  
Nec cuiusvis filius,  
Unum eorum auxilium vocatur  
Illud tibi auxilium feret  
Contra dolorem, mærorem  
Et aduersa quævis &c.

Sic post Odini tempora literis Runicis alii quoque pari modo abusi fuerunt; quo autem apparatu & quam infandis ceremoniis nocituras inimico Runas exaraverint, Gretteri historia manifestat: Hon tok knif sin oc risti runar a rotur kilfuna, oc reid a blodi sinu oc quad yfir galdra oc geck aufug rangsælis um treit oc hafdi daryfir morgum mæli. Eptir dat let hon brinda trenu ut a sio oc mælti sua fyrir at das skyldi reka ut til Drangæyar oc verda

C

Gretti

m) Xuna Capitule Stroph. 9. prout vertit Thom. Barth. eodem loco.

Gretti alt mein at. h. e. Illa cultro accepto, runas incidit, sanguineque suo illevit, deinde incantamenta canens, retrogradè & contra cursum solis lignum circumivit, multasque diras protulit, deinde lignum in mare projici curavit, precata ut fluctibus ad Drangæam (insulam) pulsus, Grett ero omnium malorum causa foret.

§. IV. Sed ut redeamus ad artem volandi genti Hyperboreae familiarem; certum est ab ultima in patria nostra paganismi memoriâ, profectionis talis famam permansisse: & nihil est creditu facilius, quam Lappones hodiernos, ex paganismi tenebris nondum erutos, eodem profectionis modo adhuc uti; Verum praeter scipiones, baculos & palas: vituli, equi, canes animantesque aliae, eodem ungventi genere delibutae, ad loca destinata, sessores suos devehere posse putantur.

Praeterea modo haut absimili, maria quoq; trajecisse perhibetur gens aquilonaris. Neq; verò id sine daemonum iudificatione factum fuit; siquidem asfulis ossibusque, diris carminibus obsignatis, navigii loco usi fuerunt, nec segnius illis, quam celerrimo velorum vento-

ventorumque usu, objecta aquarum impedimenta superarunt. Quemadmodum narrat Olaus Magnus <sup>n)</sup> de Mago quodam Hollero nomine; itemque de Oddone pirata Danico, qui marinos vortices praestigiosis carminibus calcare conservaverant.

Eiusmodi vim & potentiam daemonibus rectè tribuit doctiss. Vossius <sup>o)</sup> quod scilicet possint gravia corpora tollere, perq; aërem in spatia longissimè dissipata transferre; & praeter experientiam, id multis modis comprobantem, certum etiam est ex Scriptura sacra, ubi dicitur Diabolus Christum in pinnaculum templi, & in montem excelsum transtulisse. <sup>p)</sup> Accedunt & rationes id ipsum confirmantes: Vis enim & potentia illa movendi in rebus creatis indubie perfectio est, indeque angelis & per consequens daemonibus in perfectissimo creaturarum ordine constitutis, non potest non competere, & quidem per se & intrinsecè, nam & hoc illa perfectio requirit, nisi eos de statu illo dejicere, & infra hominem & bestias detrudere velimus.

C 2

§. V.

<sup>n)</sup> Hist. Gent. Sept. Lib. III. cap. 18. <sup>o)</sup> de Orig. Idol. Lib. I. cap. 6. <sup>p)</sup> Matth. IV.

§. V. Hanc nostrorum per aethera  
& undas profectionem , indigitare vi-  
detur Ovidius ita canens : q)

*Esse viros fama est in Hyperborea Pallene;  
Qui soleant levibus velare corpora plumis,  
Cum Tritoniacam novies subiere paludem.  
Haud equidem credo, sparsa quoq; mem-  
bra veneno.*

*Exercere artes Schytides memorantur e-  
asdem ,*

Ampl. Rudbeckius haec verba addu-  
cens r) argumentis haud spernendis  
probat *Pallenæ* esse nostrum Bålle-  
näs in meditullio Helsingiae australis  
sitam ; per *paludem* vero *Tritoniacam*  
mare Balthicum intelligi debere , &  
plurimis aliis rationibus, & hinc docet:  
quia moris fuit genti nostræ, ut qui in  
mari Balthico prius non vecti essent ,  
aut in aquam demitterentur, aut pecu-  
niâ periculum redimerent , quod qui-  
dem in primis fieri oportuit ad colu-  
mnam illam , quae freti (Øresund) an-  
gustias introituriis occurrebat, nonnul-  
lis pro altera Herculearum habitam.  
Sed alibi quoque id factum putamus ,  
& qui-

q) *Metamorph. Lib. XV. vers. 356.* r) *Tom.*  
*III. p. 357.*

& quidem ab iis qui piraticae militiae-  
que navalium, sub regibus Sveonum Go-  
thorumque nomina sua dedissent, ut  
aut à malis, aut antennis, tabulatisve  
navium, in profundum praecipitaren-  
tur. Et hoc vel strenuitatis aliquod spe-  
cimen esse, vel fortunam in rebus na-  
valibus meliorem portendere crede-  
bant. Similiter eos, qui inter pescatores  
primi essent (Notfong) haud multò dis-  
par inaugurandi ratio fuit. Foramina  
enim in lacu ubi piscatio instituenda,  
plurium ulnarū spatio inter se distantia  
duo facta, funis sub glaciē ductus junge-  
bat quo futurum jam regem ligatum,  
altero foraminum istorum in aquam  
dejiciebant, altero extrahebāt ministri.  
Nec talis supersticio adhuc prorsus e-  
vanuit ; cum enim aliquis ex illis qui  
piscatum abeunt, aut casu in lacum  
incidat ; aut ab alio ex industriā eum  
ē cymbā detrudente, invitus demerga-  
tur, felicioris pescationis omen cer-  
tum esse opinantur.

§. VI. Imperium in ventos & tem-  
pestates Septentrionis populum habu-  
isse, vetus per orbem est traditio : Zie-  
glerus Lapponibus, sed Olaus Magnus

Finnis hoc tribuit ; quod nempe certo pretio ventos secundos vendiderint nautis, traditâ fasciâ, loro, vel funiculo, cui nodi tres cōstricti inerant ; quorum primum si solverent, mediocrem habituri essent ventum , si secundum vehementiorem ; tertium verò ubi laxarent, saevissimas tempestates se passuros scirent. Hinc manet hactenus inter nautas itemque pescatores maris Balthici proverbium : Nu hafwa de lōst up den tridie fnuten ; quando procellae ac turbidae tempestates exoriuntur. Hanc artem Regem Sveciae Ericum, VI. calluisse testatur Olaus Magnus s) his verbis : *Ericus Rex Sveciae in arte magica nulli suo tempore secundus habebatur, tamque familiaris erat malis dæmonibus, ut quocunque verteret pileum suum, confessim inde optatus ventus spiraret; quo eventu nomen inditum illi fuit, ut ventosus pileus diceretur.*

Sed unde talis hominum in naturae cursum potestas, nisi ab ipso daemone sapientissimi Numinis simiâ ? qui ordinem totius hujus universi ut divinitus institutum , ita ut à solo summo statore

tore dirigendum, non sinit intactum, sed suâ interdum violentiâ turbatum cupit. Quamvis enim tempestates, fulgura, tonitrua. pluviae &c. virtute cœli & elementorum naturaliter excitentur ; Daemones tamen permissu Dei materiae motum promovere & dirigere, disgragatas exhalationes cogere & ita componere posse, ut saevissima ingravescat tempestas, vix negari potest. Quam sententiam quoq; fovet Peucerus : t) Cient, inquit, s̄ervas in aëre tempestates, inusitatos ventorum flatus ac turbines, terræ motus, imbræ, ejaculantur ex nubibus tonitrua, fulmina, quæ non gignunt ipsi, sed collecta generataque à caussis suis naturalibus propellunt ac provocunt, eò quo volunt. Vix enim est ullum corpus naturale, inquit Keckermannus, u) in quo potentius dominetur *Cacodæmon* quam est aér; unde etiam ab Apostolo vocatur : ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τὸς αἵρετος. v) Itaq; credibile est etjam homines ab hoc impostore instructos idem praestare posse; sicut Odinus de se gloriose canit in Havamal x) quod

C 4

non

t) de divinat. gener. pag. 30. u) Curs. Philosoph. diff. VI. v) Eph. II. 2. x) Stboph. 17.

non solum ventos evocare , sed eos quoque , itemq; mare turbidum componere probè novisset. Instigant enim daemones , naturae quippe peritissimi , cum praevident futuras tempestates , sua mancipia , ad confirmandam superstitionem , ut ventos petant horrendos aliaque vicinis incommoda , quae cum naturaliter sequuntur , sua id operâ contigisse putant. Et ut fortius hac mente confirmantur ; instruit Diabolus anus quasdam sibi familiares praeceptis quasi à natura de promtis , & ab omni superstitione remotis , ut silices post tergum occidentem versus projiciant , arenam aquae torrentis in aërem conjiciant , scopas in aquam intingant , porcorum pilos in olla coquant , & alia id genus deliramenta observent.

§. VII. Immani ac inusitato interdum robore , corpora sua munire prisam nostram gentem conservisse , ex historiis veterum satis patescit , Quid in bello valuerint Othinus , Thorus , Balderus , commemorant Edda , Saxo , Snorro Sturlaesonins in Chronico Norvegiae , & alii plures ; Historia Hervorae

Hervorae de filiis Andgrimi, nec non  
Egilli Historia de Kueldulfo testantur,  
rabiosos homines & quos furor Ber-  
sericus agitabat, ita fuisse comparatos,  
ut furore durante, nihil ipsis resistere  
posset; ubi autem furor remisisset,  
tum solito fuisse debiliores. Lubet in  
hujus rei testimonium Saxonis verba  
y) adferre, de Hartbeno Helsingo tan-  
tâ saevitia furente, ut portenta alio-  
quin prorsus incredibilia ab illo edita  
videantur. Saxonis haec sunt verba:  
*Hartbenus Helsingus tantâ corporis magni-  
tudine erat, ut novem cubitis proceritatis  
ejus dimensio tenderetur. Huic duodecim  
Athletæ contubernales fuere, quibus officio  
erat, quoties illi præsaga pugna rabies in-  
cessisset, vinculorum remedio oborti furoris  
impetum propulsare. Ab his Hældanus  
Hartbenum ejusq; pugiles viritim impetere  
jussus, non solum certamen pñspondit, sed et-  
jam victoriam sibi ingenti verborum fiducia  
promisit.* Quo audito, Hartbenus repenti-  
no furiarum afflatu correptus, summas cly-  
pei partes morsus acerbitate consumxit; i-  
gneos ventri carbones mandare non desti-  
git; raptas ore prunas in viscerum ima-

trans-

*transfudit, crepitantia flamarum pericula percurrit : ad postremum omni sævitiae genere debacchatus, in sex Athletarum suorum præcordia, furente manu, ferrum convertit.* Ceterum naturalis ne fuerit hic furor & pro lubitu adscitus ex pugnandi nimirum aviditate, & ab intumescente bile & ebulliente sanguine ortus ; an verò à daemone concitatus, quivis ut Iubet, judicet. Nobis verosimillimum videtur, à Diabolo hujusmodi furialem ferocitatem cieri, quippe ita fermè comparata apparet, ac furor hominum daemoniacorū, qui cum maligno implentur spiritu, tanto pollent robore, quanto vix alii decem simul. Rursus cum malignus abscessit genius, infirmi ac debiles jacent.

§. VIII. Praeterquam verò quod ingentes ejusmodi vires adsciscere potuerunt, qui magica arte erant imbuti : aliorum quoque utut robustissimorum potentiae resistere, variis modis valuerunt ; aut gladiorum ictus excipiendo avertendoque , aut emissos globulos retorquendo. Quin constat milites multos ex pacto cum maligno spiritu inito, non solùm innumeros hostes

stes prostravisse , ut globulis & gladiis resistere, ictus eorum sine ulla externa laesione excipere, aliaque vires humanae excedentia, vel patrare vel sustinere potuerint. Sicut Balderum corporis firmitate ne ferro quidem cessisse perhibet Saxo. <sup>r)</sup> Imo nullo telorum generè laedi potuisse Balderi corpus, testis est Edda <sup>a)</sup>). Qua arte existimandum est, homines credulos à Diabolo allici, quo facilius in praesentissimam praecipitentur perniciem. Potest namque callentissimus ille malorum artifex retinere seu impedire tela vel globulos , ne tanta virtute in corpus sui mancipii agant , quanta aliàs ; sed ut saltem leviter intumescat caro plumbea glande perstricta. Potest gladiorum vim inhibere , vel quocunque modo impediendo manum ipsius percutientis vel aliter atque aliter disponendo medium aërem , ut feriat adversarius, sed nihil efficiat. Quemadmodum Odinus potentiam suam circa arma & res bellicas ipse in Oda Eddae Saemundi, quae Havamal inscribitur , & Odino , ut auctori, tribuitur, his rhythmis declarat :

<sup>r)</sup> quos

<sup>a)</sup> Hist. Dan. lib. III. <sup>a)</sup> Mythol. 43.

b) quos solum Latinè , sicut eos vertit  
Thomas Bartholinus c) exponam :

*Illud tertium novi ,  
Si mihi valde necessum sit  
Contra meos hostes  
Acies habeto  
Meorum hostium ,  
Ita arma illorum non valeant.*

Item d)

*Illud quintum novi ,  
Si videam hostili animo emissam  
Sagittam aciei imminere.  
Illa tanto impetu non fertur  
Quin sistere possim ;  
Si modo oculis conspiciam.*

Neque Odinus hujusmodi praestigiis & dolis solus usus est ; sed Freyam quoque praeliis nonnunquam interfuisse memorat Edda e) licet praecipua ejus cura circa amores fuerit : *a bana er gott ad heita til asta. h. e. ipsi pro amore vota facere bonum est.* Itemque Thorонem, quem inusitato clavae libratu cuncta clypeorum obstacula lacerasse scribit Saxo f). Armorum etenim acuminata,

b) in cap. Runico Stroph. II. c) Antiq. Dan. lib. II. cap. 5. d) Stroph. 13. vid. in hanc rem quoq; Stroph. 19. § 21. e) Mythol. 22. f) Hist. Dan. lib. III.

mina, magica arte fabricata, plurimū usus huic rei praestitisse, experimenta eorum monstrant, qui gladiis hujusmodi usi fuerunt; "nunquam autem posse hebetari arma ista veteribus fuit persuasum. Quamvis plurima restent, quae inter impostoris vaferimi artificia possent adduci; ea tamen, cum abominanda sint, & silentio potius quam commemoratione digna, lubentes praeterimus.

## Caput Quartum

De

*Phantastica hominum transformatione in bestias aliasq; res, arti magicae falso adsignata.*

### §. I.

**A**N Magi ac venefici ope Diaboli possint unam speciem in aliam, ut hominem in ursum, lupum aliasq; bestias permutare, celebris est controversia, longoque tempore disputata. & cum hodienum praeter imperitum vulgus cui haec sententia valde est impressa.

pressa, multi pro thesi defendenda variis inducti rationibus pugnare audent: pauca hisce quoque explicandis adferre lubet: Provocant quidem hujus transformationis assertores ad artes magicas,, quarum ministerio eam fieri autumant; & ad palliandum suum errorem, producunt exemplum Lycaonis Arcadiae regis in lupum commutati, Ovidio g) descriptum. Nec desunt qui dicant magicâ arte famosissimam Circen b) Ulyssis socios imporcos verè commutavisse ; & innumerā alia proferuntur exempla, quibus unius speciei in aliam metamorphosin factam certissimè probari putant. Sed oculo accuratori quicunq; haec intueri non fuerit gravatus , aliud longè Poëtarum fabulas quam id, cuius primo intuitu speciem prae se ferunt, velle, vix negabit. Nec Poëtae solum, sed alii quoque similia multa argumenta & fabulosas historias tradiderunt. Apulejus scribit se in asinum magica virtute fuisse conversum, & iterum rosis gustatis , hominis formam sibi restitutam. Verum scriben-

g) Metamorph. Lib. I. b) de qua Virgilius Eclog. VIII.

tis consilium aliud fuisse quis existimet, quam sub hoc transmutationis quasi involucro, naturam mortaliū, & mores humanos depingere? ut admoneremur nempe ex hominibus asinos fieri, quando voluptatibus belluinis immersi, asinina stoliditate brutescunt, nec ulla rationis virtutisque scintilla in illis elucescit. Rursus ex Asino in hominem reformatio, significat calcatis voluptatum sordibus, exutisque corporis deliciis, rationem resipiscere, & hominem interiorem, qui verus est homo ex ergastulo illo cenoso ad lucidum habitaculum, gustatis rosis, hoc est, scientiam, quae mentis illustratio est, virtute & religione ducibus remigrare. Ita dicere possumus juvenes sordibus voluptatum coinquinatos in asinos transmutari; mirescentibus vero virtutibus, exutaque bruti effigie, humanam demum formam resumere.

§. II. Interim nos, qui exoticos hac ratione convictos putamus; cavebimus necesse est, ne priorum gladiis appetamur, experientiaeque testimonio ipsi convicti cedere cogamur. Scribit Olaus Magnus i) de Russis, Laponis,

i) *Hist. Gent. Sept. lib. II. cap. 3.*

vonis, Lapponibus & Ingris, esse in illis plurimos qui singulis annis convertantur in lupos, campos pervagentur, pecora dilacerent, homines vero non laedant. Et Peucerus dicit <sup>k)</sup> iterum depositâ lupi specie, exacto certo tempore, transformari in homines. Praeterea quocunque nos vertimus, auribus obvius est anilis ille susurrus de hominibus, etjam in nostris regionibus, in lupos, conversis. Et ne argumenta desint, dicunt hanc transformationem non minus posse Diabolum per suos ministros efficere, quam portenta cetera tetriora multò, & quae vero consona minus videantur. Nos agnoscimus profectò malignas esse Satanae machinationes ; neque inficiamur, quin Diabolo sit voluntas mutare hominem, vix autem est facultas, quam dubio procul desiderat ; sed ab optimo humanoque generi faventissimo Numine haud impetrat.

S. III. Metamorphosin igitur & transformationem illam esse praestigiosam, phantasticam, & fascinationibus Diaboli fictam, quilibet videt, cui non

<sup>k)</sup> Lib. de Theomant. pag. m. 133.

est praefictus fascino mentis visus.  
Non enim creaturae sed creatoris o-  
pus est, mutare creaturam; Et si Da-  
emon hac potestate gauderet, ut vide-  
licet in lupos aliasque bestias homines  
pervertere posset: sine dubio duduni,  
pro suo in humanum genus odio, o-  
mnes ferè homines convertisset aut in  
talpas, ne Dei magnalia cernerent, aut  
in lapides, ne verba salutis audirent, aut  
in pisces, ne creatorem celebrarent.  
Latissimus profectò heic pateret disle-  
rendi campus, nisi instituti ratio mo-  
neret, vela brevi complicanda, por-  
tumque quærendum esse. Interim vi-  
deantur summorum virorum Augusti-  
ni, l) Gerhardi, m) Balduini, n) Peu-  
ceri, o) Vieri, p). Itemque nostrati-  
um Loccenii, q) Rudbeckii, r) alio-  
rumque super hoc argumento senten-  
tiae commendatissimae. Nos id solum  
obtinere velimus, nullam dari veram

## D sub-

l) *de civit. Dei lib. XVIII. cap. 18.* m) *L.*  
*Theol. de morte §. 158,* n) *Cas Conscient.*  
*lib. III. cap. 5.* o) *de Theomant. p.m. 130.*  
*& seqq.* p) *lib. III cap. 10. & lib. IV cap.*  
*22.* q) *Antiq. Sveo Goth. p. 104:* r) *Atb.*  
*Tom. I. cap. 20. §. 1.*

substantialem cuiusquam creaturae in aliam transmutationem; sed eam mere imaginariam illusoriamq; esse, quia sensus humanos veteratorio artificio iudicatur, ab impostore Diabolo, aut aliis animalis cutem ac pellem circumducente, sive speciem corporis lupini ex aëre formante, vel etjani hominem citissimè auferente, & in ejus locum lupum viventem similemque bestiam substituente.

§. IV. Quod confessionem attinet eorum, qui se in bestias substantialiter commutatos fuisse fatentur: dicimus tamen illam erroneam esse; quam horum qui existimant, non quidem detrahi corporibus naturam humanam, neque accommodari lupinam, sed impelli animas, ut egressae suis corporibus in lupina corpora involent, & ab iis certo & praestituto tempore circumferantur. Cui sententiae patriconi opinantur, secessionem animarum è corporibus hominum sanctorum, quas Deus in cœlum traductas & divina completas luce reposuerit in pristina sua habitacula. Sed Diabolum tamen hoc imitari & compagem animae

cum

cum corpore admirandam, nullique nisi sapientissimo fabricatori cognitam, dissolvere, exemptis animabus, vel repositis iisdem dissolutam conglutinare rursus ac compingere posse, minime credendum. Nam licet fatendum est daemones fortissimos esse spiritus, saepeque numero taliâ fecisse, quae homines admirati sunt : non tamen ita sunt potentes ut quicquid velint, operari possint. Quo pacto autem opera sua peragunt : Jacobus Martini s) pulcrè docet, nimirum veteratorem Diabolum, caussis intervenientibus naturalibus, mira sua tribus praecipue modis perficere : 1. Verum objectum removendo, 2. falsum & phantasticum objiciendo, 3. sensus hominum pervertendo. Praeter communem verò naturae ordinem nihil prorsus monstrosi ac mirandi praestare daemones posse, (hoc enim munus solius omnipotentis Dei est) rectè & piè credimus. Itaque mirum est, inquit consultissimus Loccenius t) quosdam Christianos adhuc credere hominem vi magicâ posse lupum fieri, & se condere sylvis.

§. V.

s) in disp. de Mag. ait. t) Antiqu. Spec. Goth. pag. 104.

§. V. Priscos autem superstitionis aurâ afflatos hanc metamorphosin credidisse quid miremur? cum eo quoq; dementiae prolapsos esse compertum sit, ut existimaverint homines etjam in saxa aliasque res inanimatas nonnunquam, & praecipue reges & heroas fortissimos fuisse conversos. Quamobrem etjam saxis hujusmodi, divinum honorem & cultum, nec dubitarunt tribuere, variisque superstitiones apud illa exercere. Haec namque liborum vestimentis militiae consecrandonum fortitudinis accendendae & virium augendarum caussa circumdederunt; nec non aegrotantium vestes sanitatis recuperandae gratiâ, aut affri- care his, aut cultro pulverem ex illis, abradere, in ægrorum usum soliti fu- erunt, & innumera alia hujusmodi portenta non dissimilia illis, quae in papatu fiunt: quando ad statuas sanctorum admoveantur langvidi, ut curentur leprosi, ambulent claudi, ut cœcis visus, mutis, loquela, & surdis auditus restituatur. Idem confir- mat Olaus Magnus u) memorans nonnullos credidisse saxa ingentia certis

u) lib. II. c. 15.

locis

locis erecta olim fuisse gigantes in  
hujusmodi moles saxeas per execra-  
tiones divi Olai conversos. Et Mes-  
senius <sup>v)</sup> refert Haraldum regem ob  
pœnam Olao regi fratri suo inflictam  
in Draconem fuisse conversum.

Quis verò sanus hanc hominum in-  
saxa transmutationem non prorsus fa-  
bulosam ducat, vel saltem censeat hos  
loquendi modos non sine tropo intel-  
ligendos esse, de viris magnis defun-  
ctis quidem, sed quos in saxa vel dra-  
cones conversos dixerunt, quia ipso-  
rum nomina saxis incisa, appictis ut  
plurimum draconum & serpentum pi-  
cturis, memoriam illorum perpetuam  
ac à nullâ temporum injuriâ viola-  
bilem reddere debebant.

Sed manu de hac tabula libenter  
jam sublatâ, calidissimis suspiriis  
convertimur ad Deum Ter. Opt.  
Max. qui suam in hoc orbe arctoo  
ecclesiam salutiferâ Evangelii luce  
jam diu clementer illustravit: velit  
isthoc donorum donum & thesau-  
rum incomparabilem apud nos et-  
jam

v) Scand. illust. Tom. X. pag. 494.

jam deinceps inviolatum potentissimè conservare ; ut inter tam varias & horrendas Satanæ illusiones in verbi cœlestis veritate, & incorruptæ fidei professione constanter permaneamus ! Hoc ratum quo sit , faxit Altissimus Jehova!

Cui soli honor, laus & gloria in secula nunquam terminanda.



*Eximio atque Ornatissimo Juveni,  
Dn. OLAVO HAMNELL,  
Populari & Amico integerrimo;*

*De*  
**MAGIA HYPERBOREORUM  
VETERUM**  
*propediem disputaturo.*

**G**entis Hyperboreæ magicas descri-  
bis ut artes,  
Discernens docto falsa labore probis.  
Sic Sophiæ veræ cultorem Te, probat,  
HAMNELL,  
Et meritas laudes turba novena  
parat;  
Pro studiisque pijs de Ææo criminè diro  
Gens purgata Tibi præmia digna  
vovet.  
Ceterum, & augurio nostro si quis lo-  
cus esset,  
Ito bonis avibus: dissere: plausus  
erit.

Festinans scribeb.

**PETRUS FINCKE.**

Juveni  
Literis moribusque conspicuo,  
Dn. OLAVO HAMNELL,  
Amico & Populari suo honora-  
tissimo.

Carmine quid magico valuit, quid & ar-  
tibus olim  
Credula gens, diris, Daemonium quum  
ageret  
Simplicium mentes, adhibens conamina  
mille,  
Toxica quo posset spargere ritè sua;  
Hoc tua nunc, Hamnell, demonstrat do-  
cta Thalia,  
Priscorum gaudens volvere scripta so-  
phum.  
Ausa Tibi verè felicia grator, & opto  
In reliquum tempus prospera cuncta  
fluant;  
Tu modo ne cessa Parnassi scandere culmen,  
Præmia Musa Tibi digna labore dabit.

Sic amica & sincera men-  
te manuque adplauder-  
re voluit, qui debuit

O. FAXEN.

**Π**ΟΛΛΑὶ μὲν ἐσιν ἔξαίρεται καὶ τερπνί-  
 σατα, περὶ ὧν οἱ νεανίσκοι συζητεῖν  
 εἰώθασι. Τότων δὲ ἕντα, περὶ ὧν εὔδη-  
 λον, ὅτι περιεργότερά ἐσιν, ή̄ χρησι-  
 μώτερα πρὸς τὸ τὸν βίου εὖ διατελεῖν.  
 Εγὼ μὲν ὅσα εἰσὶ τῷ διαβόλῳ ἐπιχει-  
 σηματα, καὶ ἐμπαίγματα, καὶ πουντία, καὶ  
 ἀπάτη, καὶ ἄλλα ἄτα μυρία, καταγο-  
 τεύονται τοῖς ἀνθρώποις, ὡφελιμώτατον καὶ  
 κερδαλεώτατον ἥγοῦμαι ἡμῖν διαλέγε-  
 σαι. Πρὸς τότο καὶ ἡμᾶς παρακαλεῖ  
 ὁ Ἀπόστολος, λέγων· οὐάψατε, γρηγο-  
 ρήσατε, ὅτι ὁ ἀντιδικός ὑμῶν Διάβο-  
 λος, ὡς λέων ὠρυόμενος, περιπατεῖ,  
 ζητῶν τίνα καταπίῃ. Περὶ τότε ἀμελή-  
 σαντές ποτε οἱ πρόγονοι ἡμῶν οἱ ὑπερ-  
 βόρεοι ἐγένοντο Μάγοι καὶ δαιμονολά-  
 τραι, τότεντος, ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος  
 ἐν σκότει, καὶ οἱ κατοικοῦντες ἐν χωροῖς  
 σκιᾶς θανάτου, κυριεύονται αὐτῶν τοῦ  
 σατανᾶ, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτῷ παρ-  
 αύτοῖς κατισάνται. Νῦν δὲ κατεστραμ-  
 μένος τῷ Θρόνῳ αὐτῷ, συμπολιταὶ ἐσμεν  
 τέλευτοι

τῶν ἀγίων, καὶ οἰκεῖοι τῷ Θεῷ. Ἀλλα  
ταῦτα δὲ καὶ τις σαφέσερον ἐπιδείξειεν,  
ἢ Σὺ, ὦ Φίλος τοῦ Πεποίηκας ἐν ταύτῃ  
τῇ διατριβῇ καλῶς τῇ ἀληθείᾳ, καὶ σο-  
Φῶς συγγεγραμμένῃ. Εἶγα μὲν, μὴ  
κατακόρως τῷ ίδιώματι τότε Φαίνωμαι  
κεκρημένον, καὶ ἐπιλεληθὼς τὴν οἰκείο-  
τητα τὴν εἶμοι πρός σε ὑπάρχοσαν, τὸς  
ἐπαίνους τὲ Φεύγοσαν, τότε τῷ προσ-  
Φωνήματι ἐπιτιθημι τὸν κολοφῶνα. Σὺ  
δὲ, ὦ Ἑταίρων μᾶς προσφιλέσσατε, λάμ-  
βανε τὴν ἀγαθὴν τύχην, καὶ μάλιστα  
πειρῶ τῶν πεπαιδευμένων ἐπιτηδεύματα  
διώκειν, ἵνα καὶ Σὺ τὸ μίσθωμα καταλά-  
βης, ὑπὲρ δὲ πάντες οἱ περὶ τὰ γεράμ-  
ματα Φιλοπονῶντες καθ' ἐκάστην ἀγωνί-  
ζονται τὴν ημέραν.

Ol. Hanning.

